

T1

De civitate Dei I, Praefatio

Prefazione

De suscepti operis consilio et argumento.

Gloriosissimam civitatem Dei sive in hoc temporum cursu, cum inter inpios peregrinatur ex fide vivens, sive in illa stabilitate sedis aeternae, quam nunc expectat per patientiam, quoadusque iustitia convertatur in iudicium, deinceps adeptura per excellentiam Victoria ultima et pace perfecta, hoc opere ad te instituto et mea [ad te] promissione debito defendere adversus eos, qui conditori eius deos suos praferunt, fili carissime Marcelline, suscepi, magnum opus et arduum, sed Deus adiutor noster est. Nam scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis quanta sit virtus humilitatis, qua fit ut omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia non humano usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo transcendat. Rex enim et conditor civitatis huius, de qua loqui instituimus, in scriptura populi sui sententiam divinae legis aperuit, qua dictum est: "Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam". Hoc vero, quod Dei est, superbae quoque animae spiritus inflatus affectat amatque sibi in laudibus dici: "Parcere subiectis et debellare superbos". Unde etiam de terrena civitate, quae cum dominari adpetit, etsi populi serviant, ipsa ei dominandi libido dominatur, non est praetereundum silentio quidquid dicere suscepti huius operis ratio postulat et facultas datur.